



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 1. Vtrum Anima Christi habuerit omnipotentia[m] simpliciter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



hanc esse Patris voluntatem, Angelorum desiderium, hominum extremam necessitatem; denique gloriam & celebritatem quam ipse sua passione esset consecuturus. Credibile tamen est Dominum

hanc consolationem non admisisse: nam factus in agoniâ, prolixius orabat. Hanc expositionem insinuat D. Hieronymus Dial. 2. contra Pelagium, Et Hilarius lib. 10. de Trinit.

## Q V Æ S T I O X I I I.

### De Potentia Animæ Christi.

#### In Quatuor Articulis diuisa.

#### ARTICVLVS I.

##### Vtrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam simpliciter?

**R**espondetur Negatiuè; Anima Christi non fuit absolute omnipotens. Ratio est, Quia omnipotentia sequitur quoddam esse, quod absolute est infinitum: atqui esse absolute infinitum, nulli creaturæ potest communicari: ergo nec omnipotentia. Confirmatur; Quia potentia actiua sequitur formam: ergo potentia actiua infinita sequitur formam infinitam. Adde; Animam Christi in omnibus actionibus suis pendere à concursu diuino; dependere autem à cooperatione alterius, repugnat omnipotentie: nam hæc per se omnia potest.

Aduerte; Has Rationes dumtaxat probare illam Animam non fuisse naturâ suâ, aut dono aliquo creato omnipotentem; non autem per vnionem hypostaticam diuinæ potentie.

#### ARTICVLVS II.

##### Vtrum Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu mutationis Creaturarum?

**R**espondetur Tribus Conclusionibus. Prima; Anima Christi secundum propriam virtutem naturalem, vel gratuitam, habuit potentiam ad omnes illos effectus, qui animæ sunt conuenientes: vt ad corporis perfectam gubernationem, ad omnes actus humanos naturales & supernaturales; denique ad illuminandum omnes creaturas rationales. Quod intellige, eo modo, quo superiores Angeli illuminant inferiores; scilicet per locutionem spiritalem seu obiecti propositionem; non autem per luminis infusionem. Nam lumen infundere, non est actio conueniens conditioni creaturæ rationalis. Potest tamen Anima Christi lumen infundere diuinâ virtute. Idem dicendum est de specibus intelligibilibus ordinis supernaturalis.

Secunda Conclusio; Anima, vt est instrumentum Verbi, habuit virtutem instrumentariam ad omnes mutationes miraculas, ordinabiles in finem Incarnationis; qui est, instaurare omnia quæ in cælo, & quæ in terra sunt.

Tertia; Non habuit tamen potentiam instrumentalem annihilandi; nam annihilatio respon-

det creationi: at solius Dei est creare: ergo & annihilare. Hinc D. Thomas infert Christum non habuisse Omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

#### DVBIVM I.

##### Quidnam sit vis illa quâ Christum operatus est Miracula?

**R**espondeo & Dico Primò, Vis illa non erat aliqua qualitas creata inherens humanitati Christi, quæ miracula tamquam causa principalis seu commensurata effecerit. Est communior sententia Doctorum in 3. dist. 13. Et in 4. dist. 1.

Probat; Quia vel illa virtus esset vna quædam qualitas & forma, ad omnium miraculorum patrionem se extendens; sicut Solis virtus se extendit ad omnium generationem: vel esset multiplex, pro diuersitate operum mirandorum. Si vna, illa deberet absolute esse infinita, non solum intensione, sed etiam essentialiter, & in ratione entis; nam haberet vim connaturalem ad infinitam operum diuersitatem, quorum pleraque eorsim vim infinitam requirunt: atqui talis esse nequit; vt per se patet: æquaretur enim diuinæ omnipotentie. Sed neque hæc qualitas potest esse pro diuersitate operum multiplex; quia etsi forte ad quædam opera, quæ nunc censentur miracula, eod quod viribus nature, quæ nunc existit, fieri nequeant; vt ad curationem morborum lethalium, ad productionem vitæ in mille annos, ad illuminationem cæci, & similia; etsi, inquam, possit per absolutam Dei potentiam virtus creata effectrix horum institui; sicut lignum vitæ habebat vim naturalem ad vitam multis millibus annorum propagandam: tamen hæc non poterit ita operari, sicuti Christus fecit miracula: v. g. in momento, non obstante quâuis resistentiâ creaturæ, ad quoduis interuallum, ad nutum voluntatis &c. Deinde multa sunt quæ vi creatâ nullo modo perfici queunt. Quæ enim vis efficiat vt vnum corpus sit in duobus locis, vel duo corpora in eodem loco; vel vt vna res tota conuertatur in aliam; vel vt substantia habeat modum existendi spirituum; & similia? Et ratio est; Quia hæc opera non sunt res aliquæ supernaturales productæ, sed consistunt in quodam supernaturali modo; cuius causa non potest esse aliqua virtus creata: actiones enim quibus illa opera fiunt, nõ tendunt ad communicandam certam formam, sicut actio qualitatis creata: sed solum modum quendam in rebus constituunt, qui omnem conditionem nature creatae excedit. Vnde non potest concipi

Non est qualitas creata.

Si esset hæc qualitas vna, esset infinita.

Si multiplex, esset parum apta.

2  
Tres Conclusiones.  
Habit potentiam ad effectus omnes animæ conuenientes.

Item ad mutationes miraculas.

Excepit Annihilationem.